

Anna Sereniss, Elector. Saxon. Augusti Coniux
gloriss, recordationis, quæ quum quodam tempore in Schola
Portensi ex Dursfeldio Cantore inter alia quæreret: Num Por-
ta etiam malos haberet pueros? & ille: Clementissima Domi-
na, non omnes sunt boni. laudatissimè regerebat: Mi senex, li-
cet non omnes sint boni, tamen perge in officio & vide, ut reddas
bonos. Et hortus amœnus habet urticas, at propterea hortum non
evertimus. Ita quamvis Schola malos habeat pueros, non tamen
propter eos Scholam claudimus. Hæc illa.

Chronic. Portens.
Bertuchij l. 2. c. 12.
p. 80.

Inverti commodè potest, corrumpi Juventutem malâ educatio-
ne domesticâ, mala conversatione & adulatione famulorum, ne-
gligentia Patrum, indulgentiâ Matrum, oscitantia Padagogorum:
ut Plutarchus quæritur. Quintiliani verba audiemus, qui
ita: Utinam Liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus.
Infantiam statim deliciis solvimus. Mollis illa educatio, quam ino-
dulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis fran-
git. Quid non adultus concupiscat, qui in purpuris repit? Non-
dum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam con-
chylum poscit. Ante palatum eorum, quàm os instituimus. In-
lecticis crescunt, cothurnis monstrosis incedunt. Gaudemus, si
quid licentius dixerint, verba ne Alexandrinis quidem permitten-
da deliciis, risu & osculo excipimus. Nec mirum, nos docuimus,
ex nobis audiverunt, nostras amicas vident. Omne convivium
obscœnis canticis strepit, pudenda dictu spectantur. Fit ex his con-
suetudo, inde natura, discunt hoc miseri, antequam sciant vitia
esse. Inde soluti ac fluentes, non accipiunt ex scholis mala ista,
sed in Scholas adferunt. &c. hinc illæ lacrumæ. Præclarè
etiam hac de re Juvenalis, dum inter cætera ita:

Lib. 1. c. 3. pag 3.

Juven. Sat. 14.

Plurima sunt, Fuscine, & famâ digna sinistra,
quæ monstrant ipsis pueris, traduntq; Parentes.
Si damnosa senem juvat alca; ludit & heres
Bullatus, parvoq; eadem movet arma fritillo, &c.
Barbatos licet admoveas mille inde Magistros,

v. 1.

v. 5.

v. 13.

B 3

hinc